

misc. 5. 6n.

1,63

- Disputationes hucus syllogo interta, et Præside
 Weinsdorffio defensor haec sunt
 1. De ab solitudo Ministris luceis non mercede latere 1736.
 2.
 3. De ab solitudo ad struas decretis vera solidaq; gloria imparante 1726.
 4.
 5. De ab solitudo Morali eoque Theologico 1725.
 6. De aduentu pte ultro modi sui XXXI. 25thq; et ill. Matth XXIV. 29 t. q; 1717.
 7. De razim ex Separataq; Stato eas denuo cum virs communi 1725.
 8. Distinctoria fidei ad Rom XII. 6 a Novalente Lallaiby 1712.
 9. Antidotologia Salomonica ad Eccl VII 29 1720.
 10. De Antonomia Recencionis quodam 1755.
 11. De libris Amandianis de vero Christianismo 1714.
 12. De Baptismi Christianorum origine nre domini 1710.
 13. De Recencionis by de Baptismate Controversia 1708.
 14. De noui Boni operis Iustificatione fidei sent plentia 1717.
 15. Exploratio Spiritus Brendleani 1717.
 16. De exercitu meritis in purissimam christi vestimenta 1717.
 17. De exercitu meritis in purissimam christi vestimenta 1722.
 18. De Reformatio Justitiae Calvinorum effectu Augstena o Seru 1722.
 19. De laicis Turbarum in Ecclesia 1723.
 20. De Consilio losani Octavius Ita 1693.
 21. De cunctis eius sine exemplo homine 1706.
 22. Nouella de Circumcisione Segmenta 1715.
 23. De dispensatione Reformato et Lutherano d. Artis de Scientia fundamen-
tale 1705.
 24. Plenaria Blentie orthodoxae et superiori auctoritate pars prior 1706.
 25. Pars posterior 1706.
 26. Recentacio de Colonia Domini Controversia 1710.
 27. Qualis et Quantus sit despletus in articulo de S. Colona inter Re-
formato et Lutherano 1725.
 28. De Communione Dei et homini 1712.
 29. De Communione fideli uero Deo et inter se 1709.
 30. De Constatatione Spiritus obsequiatis ad Epist XI. 30 1705.
 31. De Hylotheopno Iudei pro Grammatica Creaturam definientem 1713.
 32. De Duae & tripli uerbi filio Duae expulsato 1717.
 33. De dñis Nominis ostendit ad Deut. XXXIII. 28 1707.
 34. De syr. ysl. n. ad v. 3 ad Thes II. 10, 3. 1716.
 35. De 27. 1. 1. k. 1. Euseb. Cœlia 1740.
 36. De explorando Rua apk; fidei. 27. 26. XIII. 5. 1701.



10

Q. D. B. V!
DISPUTATIONEM THEOLOGICAM
DE
**ANTINOMIA
RECENTIORUM
QUORUNDAM**

PRÆSIDE

DN. GOTTLIEB WERNSDORFIO
SS. THEOL. D. EJUSDEMQUE PROF. PUBL. LONGE
CELEBERRIMO, TEMPLI OO. SS. PRÆPOSITO, ET ALUMN.
ELECT. EPHORO GRAVISSIMO

*Domino, Patrono, ac Preceptore suo, per omne vita spatum
funde observando*

PUBLICÆ EXPOSUIT DISQUISITIONI

AVCTOR

M. JO. GODOFREDUS SCHULZE

BISCHOFFSW. MISN.

H. L. Q. C.

D. XIII. CAELEND. MART. A. R. S. cl^o i^o CC XI.

EDITIO SECUNDA

VITEMBERGÆ

LITERIS JOHANNIS CHRISTIANI GERDESII

1730

DISPUTATIONE THEOLOGICAE

DE

ANIMOSITATE
AD CLOACAM

GEORGI

DISPUTATIONE THEOLOGICAE

DE

ANIMOSITATE
AD CLOACAM

DISPUTATIONE THEOLOGICAE

DE

ANIMOSITATE
AD CLOACAM



ΠΡΟΟΙΜΙΟΝ.

Ihil unquam magis excruciat,
sollicitatque Novaturientium
animos, quam eorum,
quæ sovent, dogmatum, cum
veterum, sive Hæreticorum,
sive Schismaticorum, errori-
bus collatio, a piis veritatis divinæ vindicibus in-
stituta. Cum enim videant, se hac ratione per-
versis opinionibus detectis, omnem amittere si-
dem, & in odium totius Ecclesiæ, omniumque fi-
delium incurriere, quod ipsis propter affectatam
inauditæ cujusdam sapientiæ famam perpeſſu eſt
asperum, cane pejus & angvē ejusmodi collatio-
nem refugiunt. Non tamen propterea animum
mutant, & ad frugem redeunt, sed emendationis
loco de injuria illata prolixe conqueruntur, at-
que vindictam bona causæ assertoribus, a quibus
capitali dissident odio, eo nomine infligendam, a
Summo Numine precibus exposcunt. Quanto
majori autem laudi dicitur cœlestis veritatis de-
fensoribus, quod propter eam conviciis proscin-
duntur, tanto contra severiori tenentur animad-
versione veritatis divinæ hostes, quod non solum
errores luce clariores pernegant, sed etiam cau-

4. DE ANTINOMIA RECENT. QUORUNDAM.

sam suam tanquam optimam summo Kægioγνώσy committunt. Nemini proinde, qui rem non satis habet perspectam atque exploratam, veniat in mentem cogitare, purioris doctrinæ custodes, licet ansam reprehensionis non habeant, Novatoribus inconsiderate litem intentare, aut malitiose erroris affricare maculam, cum potius in id enitantur, ut amica correctione consensum in doctrinæ puritate stabant. Equis enim nescit, Novatores singularem in Hæreticos benevolentiam, studiumque, in scriptis passim suis ostendere, atque eorum errores, etiam crassissimos, si non omni, aliqua tamen ratione excusare. Quin & sunt, qui prava Hæreticorum dogmata tanquam saniora, & pietatem magis promoventia aliis commendant, siue forsan ea de readmonentur, ea mordicus, in hoc dissidiorum æstu, defendunt, petitis ex pharetra consentientium argumentis, novoque minio pīctis. Quæ vero Satanæ tela parum dum reformidarunt cœlestis doctrinæ propugnatores, quippe qui scapham scapham appellantes errores pristinos, in Novatoribus renascentes, in lucem protraxerunt, aggressi sunt, atque prostraverunt. Cujus rei testimonia pleno theatro hinc inde spectantur. Sic in Pietismo redivivum *Montanismum*, *Novatismum*, *Libertinismum*, & *Socinismum*, Dn. D. Maye-

Mayerus, *Schwenckfeldismum*, Summe Reverendus Dn. D. V. E. Lœscherus, Mecœnas noster perpetuo animi cultu, atque obsequio prosequendus, *Stoicisum & Deisum*, B.D. Neumannus, *Oshandrisum* Dn. D. Wernsdorffius, hujus Dissertationis Praeses, *Scepticismum*, B. D. Pfeifferus, *Anabaptismum & Bæhmismum*, Dn. D. Schelvigijs, *Papismum*, Dn. D. Blumbergius, *Diabolismum*, Dn. D. Nichenckius, *Rathmannianismum & Pelagianismum*, Celeb. Dn. Bucherus, *Manichaeismum*, Dn. Jo. Christoph. Wolffius, P.P. ostenderunt. In praesenti mihi animus est *Antinomiam* excutere Novatorum. Permovit me ad hujus argumenti tractationem historia Antinomorum, Seculo Lutheri Ecclesiam turbantium, quam collectam duabus disputationibus duos ante annos, & quod excurrit, speciminis loco publice ventilavi. Absit autem a nobis quam longissime, ut vel demortuorum, atque viventium, famam, in alio doctrinæ genere, comparatam imminuamus, vel verbo quodam asperiori in immentes invehamus. Quin hoc argumento id saltem demonstrabimus, quam facile incautis locutionibus ad priscos iterum relabendi errores via sterni poscit. Nostro autem instituto, ut illud bene feliciterque eveniat, Deus O. M. prosperos elargiatur successus!

6 DE ANTINOMIA RECENT. QUORUNDAM.

§. I.

Quanta Legis & Evangelii confusio ex opinionibus Antinomorum orta sit, ex scriptis cum Divi Lutheri, & aliorum, tum ipsorum Antinomorum abunde liquet. De novo igitur hujus certaminis pertinere historiam, instituti ratio non permittrit, siquidem res nobis nunc est cum novis Antinomis, qui veterum errores in scenam reduxerunt. Antequam autem ipsum aggrediamur negotium, praemittamus quæstionem: *Utrum opere pretium sit, Antinomicas evolvere controversias, an vero siccō pede illas preterire tuto possumus?* Redeunt hæc omnia ad ζήτησιν illud, an Antinomia mera sit λογομαχία? Agitata est haec lis jam tempore Lutheri. Agricola enim se errorem commisisse aperte negavit. Ostendit autem Lutherus, minime de lana, quod ajunt, caprina & titivilitio disceptari, sed ipsam premi cœlestem veritatem, verendumque esse, si corruptæ opinioneis Aucto-ribus suis relinquantur, ne majora inde in Ecclesiam pericula redundant. Arnoldus, famosus Novatorum socius, prout omnium fere eorum, qui sanæ adversantur doctrinæ, patrocinium in se suscipit, sic Agricola quoque causam tuetur in *Heresiol. P. II. Lib. XVI. Cap. XXV.* afferens, item hanc meram fuisse λογομαχίαν, quam tollere fervor & æmulatio, quæ inter partes dissentientes intercessisset, non permiserint. At enim vero pertinax positionum Antinomicarum ab Auctoribus suscepta defensio sufficienter demonstrat, neutiquam hoc certamen ex non satis intellectis verbis ortum esse, Lutherò in rem & verba penitus introspiciente. Historia quoque testatur, & vel ex uno Seckendorffio liquet, Lutherum ἀντινομικόν Promachum primum leniter correxisse, cognita autem hominis incorrigibili temeritate, atque insolentia, deinceps pro dignitate tractasse. Sed ut ad argumentum nostrum pro-

DE ANTINOMIA RECENT. QUORUNDAM. 7

propius accedamus, queritur nunc de Νοτερίζωντω Antinomia, utrum e resit, illam evolvere atque perstrin gere? Audio huic quæstioni totum chorūm Pietistarum, & quotquot præposta ratione ducti illis bene cupiunt, obloqui. Nam si Arnaldo ferenda eset sententia, argumentum hoc pro λογοπαιχτι, si Zieroldo, pro calumpnia, si Langio, pro fabula foret æstimandum. Sanius hac de re judicium ferebat olim Melanchthon, qui a Chemnitio rogatus: *quidnam sibi in cognitione rerum divinarum felicititer progressuro, præcipue observandum esset?* respondit: *Legem & Evangelium recte oportere distingvi.* Ex bujus enim confusione plerasque heres natas esse, ut refert in Vita Chemnitii Gasmerus. Quod ipsum confirmat declaratio F. C. Accurata, inquiens, diligenia illud est in Ecclesia conservandum atque retinendum, ne hæc duo doctrinarum genera, nempe lex, & Evangelium inter se commisceantur, aut Evangelium in legem transformetur. Ea enim ratione meritum Christi obscuraretur, & conscientiis perturbatis, dulcissima consolatio, quam in Evangelio Christi sincere prædicato habent, qua etiam se in gravissimis temptationibus adversus legis terrores sustentant, prorsus eriperetur. Notatu quoque digna sunt verba Wigandi, strenui Antinomorum hostis, in Propos. de legib. div. Sol est, ait, in Bibliis discrimen legis & Evangelii juxta verbum DEI. Hoc enim discrimine labefactato, necesse est densas tenebras iterum Biblicis monumentis offundi, & horribiles errores subsequi, id quod tot secula, quæ post Apostolos effluxere, testantur, & jam vicissim eadem pericula haud obscure ingruunt. Et paulo post: Detestanda igitur sunt Antinomorum, sive Veterum & Recentiorum, dogmata, quibus vel legem vel Evangelium suis propriis officiis defraudant, vel alterutri propria officia alterius, quando inter se opponuntur & specie ipse discernuntur, adscribunt. Progressus autem argumenti nostri docebit, veteris Antinomiae vestigia in scriptis

3 DE ANTINOMIA RECENT. QUORUNDAM.

ptis Novatorum reperiri, atque sic deinceps patebit, *Antinomiam hanc recentiorem* nec pro logomachia, nec pro calumnia, nec pro fabula esse habendam.

S. II.

Ne tamen iusto rigidiiores in Novatores esse videamus, distingvenda nobis venit *Antinomia in crassam & subtilem*. Illa seculo Lutherano in quorundam animis tantas egit radices, ut legem blasphemis & dictu horrendis verbis traducerent, eandemque ad patibulum relegandam esse, profiterentur. Quidam vero, paulo mitius de lege sentientes, eam non quidem sunt abominati, interim partes legis in Evangelium transferentes, valde iniqui in legem extiterunt. Priori nolumus annumerare classi Antinomiam Novatorum. Spes enim nos tenet, fore, ut omni ex parte cum iisdem non faciant. Ad posteriorem autem eam referri nulli dubitamus, si quidem res ipsa id loquitur. Statim a pueritia Pietissimi forex Antinomicus se prodidit, id quod observavit Venerandus Ordo Theologorum Lippiensium im Bedencken von der Pietisterey Num. 9. *Man hat schon angefangen Gesetz und Evangelium zu vermischen, und was das Gesetz fordere, mit in die Lehre des Evangelii von der Seligmachung einzumengen, welches Lutherus vor den verdammlichsten Haupt-Irrithum gehalten, und in allen seinen Schriften und Predigten dafür gewarnt.* Conf. B. D. Neumannii Disput. de praeconio Legis & Evangelii in praxi assidue conjungendo p. 30. Sicut autem Novatores, more Schismaticis recepto, semper occulte atque perplexe opiniones suas proponunt, ut ad eas pervertigandas saepè Delio Natatore opus sit; ita in hoc doctrinæ genere sedulo quoque caverunt, ne aperte ad Antinomorum castra transirent, sed vel sub specie pietatis, vel sub emendationis prætextu, dogmata hæc interpolarent. Hinc saepè in scriptis discrimen Legis & Evangelii magno

magno urgent fervore, ut ad ea loca, ad commune velut asylum, se recipere, & consensum cum orthodoxis undique ostentare possint. Alibi priori contrariam defendunt sententiam, atque ita docent, ut Antinomica Legis & Evangelii confusio aperte conspiciatur. Usu quoque haud raro evenire solet, ut quidam non tam ex malitia, quam ex ignorantia peccent, qui, cum in varias postea reprehensiones incurruunt, erroris suspicionem effugere, & sententiam suam omnibus modis, licet infelicissime, propugnare volunt. Solemne fuit Antinomis, ut consequentias ex perversis eorum opinionibus fluentes, & a Luther detrectas, rejicerent, legitimasque esse, negarent. Eandem inflant tibiam Novatores, qui consimili ratione conclusiones circumspete a Theologis elicitas negant, licet medium terminum, prout *Dialectici* loquuntur, concedant. Conveniunt non minus in eo, quod veteres Antinomi, ad fidem verbis faciendam, consensum ipsius Lutheri, ut maxime invitum, in subsidium traxerint. Nam & Recentiores quidam contestatione Lutheri, & aliorum, errorem colorare, & studiosius pingere contendunt.

§. III.

Expendamus nunc Antinomicam Legis & Evangelii confusionem in Pietismo redivivam. Vix autem salva tractationis methodo id fieri peterit, nisi antea Legis & Evangelii differentia tradatur. Duplex, pro diversa rei consideratione, occurrit *discrimen*: alterum *absolutum*, alterum *respectivum*. Quod ad prius attinet, hæc duo inter se differunt 1.) ratione cause *efficientis* principalis, non absolute spectatae, quæ ubique est tota S. S. Trinitas, sed determinate, verbo: ratione cause *mediatrixis*. Sic secunda persona Legem $\delta\sigma\alpha\mu\gamma$ Exod. XX, 1. A& VII, 38. Evangelium vero $\epsilon\nu\sigma\alpha\mu\gamma$ Ebr. I, 2. promulgavit. 2.) Ratione cause *moventis*, quæ, quoad legem, DEI justitia,

B

quoad

10 DE ANTINOMIA RECENT. QUORUNDAM.

quoad Evangelium, gratia & misericordia est, *Tu. II, n. III, 4. 5.) Ratione causæ ministerialis.* Moses circa legem *Jo. I, 17. Prophetae, Evangelistæ & Apostoli circa Evangelium occupati sunt. Act. X, 43. Act. XXVIII, 19. 4.) Ratione materiae, & ipsius doctrinae generis.* Lex est doctrina Operum, & proponit, quid faciendum & fugiendum sit. Legis enim ea sunt omnia, quæ vel obedientiam, & vitam sanctam, a nobis flagitant, vel ultionem divinam annunciant, sive in Veteri, sive in Novo scedere, continantur. *Ex. XX, 4. Gal. III, 10. Evangelium contra est doctrinæ gratiae, quæ Servatorem, cum partis beneficiis, per fidem applicandis, hominibus offert. 5.) Ratione formæ.* Promissiones legis sunt conditionatae, requirentes perfectam obedientiam, respectu *subjecti, objecti, & temporis*, annexis comminationibus; Evangelii sunt gratuitæ, in alieno merito fundatae, atque peccatoribus πόνον τισευε injungunt. *Luc. VIII, 50. Rom. III, 28.* Sequitur nunc discrimen *respectivum, quod relationem ad homines involvit.* Sic differunt 1) *Notitia,* Lex natura nota est. *Rom. I, 19. II, 15. Evangelium non nisi per revelationem innotuit. Gen. III, 15. Matth. XI, 25. 27. 2) *Objectis.* Utrumque quidem proponendum est omnibus ex intentione & promulgatione divina, verum ratione applicationis lex pertinet ad contumaces, & deprimendos, Evangelium ad contritos, & depressoſ *Ef. LXI, 1. 2. 3.) Ratione efficacie.* In lege est ὁδὸν αἱρεῖα justificandi propter infirmitatem carnis *Rom. VIII, 3.* In Evangelio est potentia ad salutem, *Rom. I, 16. 4.) Effectu.* Lex accusat hominem, damnat, terret, & occidit: Evangelium absolvit, solatur, erigit, & vivificat. Lex morbum indicat, Evangelium medicinam offert. Quod utrumque discrimen perpetua Scripturarum δύο Φωνæ sanctum est. Nostro argumento ea potissimum inservit differentia, quæ a propria operatione, & incomuni-*

DE ANTINOMIA RECENT. QUORUNDAM. II

municabili petitur officio, ubi lex mandare, minari, se-
curos prosternere, Evangelium vero promittere, absolv-
vere, & prostratos erigere dicitur.

§. IV.

Peccat contra hoc apertum, & exploratum Legis &
Evangelii discrimen, cum Antinomis veteribus ὀδηγοῖς,
qui, præter legem, Evangelium quoque normam sanctæ
vitæ constituit. Id haud obscure indicant verba, quæ ex-
tant in der Seel. der K. G. Conc. II. p. 73. Man mercke dieses, daß
gar eine andere Beweisniss ist, wo das Gesetz oder Moses von uns
ein heiliges Leben fordert, ein anders, wenn es aus Christi Gemein-
schaft fließen soll, denn dorten wird nur von uns gefordert, was wir
nicht haben, noch selbst bekommen können. Ferner, so wird uns
solches nicht durch das Gesetz gegeben, hingegen hänget das Dro-
hen gleich an den fodern. Hier aber fodert Christi Gemeinschaft
zwar auch ein heiliges Leben, aber was sie fodert, giebt sie auch,
und würcket es in und durch uns, wo wir nur der Genade in ihrer
Ordnung Platz lassen. Quæ quidem verba, ad fallendum
composita, primo intuitu, parum periculi sanæ doctrinæ
videtur afferre; si vero paulo accuratius considerentur,
multæ se produnt αἰνυρολογία. Nostrum est, ipsissimum
Antinomorum errorēm ex illis probare. Distingvitur
hic manifeste a Lege Evangelium sub peculiari notione
communionis cum Christo, atque huic, conceptis verbis, *offi-*
cium requirendi sanctam viam tribuitur, quod tamen loli
legi competere, ex supra dictis constat. Cum enim no-
bis Evangelium offerat & revelet alienam sanctitatem &
obedientiam, qua coram DEO sancti reputamur, quo-
modo quælo sanctitatem propriam ab homine requirere
potest? Quamquam etiam Evangelium homini justifi-
cato vim, & δύναμιν prestandi id, quod a lege requiritur,
largitur, non tamen de eo dicitur sine maximo vocis ab-
usu, quod simul requirat. Hinc Lutherus in Comm. ad

12 DE ANTINOMIA RECENT. QUORUNDAM.

Gal. I. 16. Evangelium, inquit, est doctrina talis, quæ nullam legem admissit. O qui bene hic distinguere posset, ne in Evangelio legem quereret, sed ab illa tam longe discerneret, quam distat cœlum & terra. Videtur quidem dissentiens peculiarem hic habuisse respectum hominum, quippe qui vel Regenitorum, vel Irregenitorum nomine veniunt. Sed hoc parum patrocinatur errori. Non negamus discrimen inter opera Regenitorum, & Irregenitorum adesse. At vero si queratur quale? respondemus, differre ea ratione principii fiendi, siquidem illa ex fide, hæc vero non ex fide fluunt, inde tamen principium normativum non mutari, quod semper & ubique est atque manet lex, quemcumque respicias hominem. Posita vero sententia, communionem cum Christo in renato sanctam requirere vitam, ultro sequitur, hominem, qui cum Deo reconciliatus sit, non amplius opus habere lege, cum normam vitae sanctioris jam in Evangelio inveniat. Atque hoc illud est, quod Antinomi obtinere olim voluerunt. Confer hanc in rem Dn. D. Schelvigi, quem DEUS in præsidium bonæ cauæ quam diutissime conservet! Piet. Sæclar. P. III. Item Synops. Art. XXIV. cum supplemento loc. cit.

§. V.

Non itaque videmus, qua ratione se excusare voluerit Dissentiens in angustias redactus a Magnif. Dn. D. Mayero. Hic enim in libro Anti-Spenerus dicto, verbis allegatis adductis, ipsi objecit, quod Evangelii summam, quæ sit, Crede, fac hoc, constitutat, atque sic contra Libros Symbolicos confundat legem, & Evangelium. Quam reprehensionem a se amoliri ausus est in Appendix der Übereinstimmung p. 48. inquiens: Dieses wäre ein Grosses, wo es auf mich gebracht würde. De verbis autem adductis inquit: Hier antworte ich nicht, daß das heilige Leben von dem Evangelio erfordert werde, denn das bleibt allemahl, des Gesetzes, sondern

dern daß ich eigentlich nicht gesetzlich davon gehandelt, wie es von uns erfodert wird, &c. Darauff denn das Evangelium nichts anders von uns fordert, als daß wir diese Wohlthat der Heiligung und die Gnade, die unter den guten Werken noch anlebende Mängel bedecket, auch mit Glauben annehmen und also der Gnade darin Platz lassen. Darzu des Gesetzes täglicher Trieb auch kommt zu thun, was unsre Schuldigkeit ist, und GOTT vor seine Wohlthaten dankbar zu werden &c. Argute quidem satis, sed non perinde sapienter ac vere, Dissentiens hæc regeffit, ut aliis persuadeat, se se ab omni errore esse remotissimum. Sermo quippe est non de *admissione sanctificationis*, sed de *sancta vita*, quam Evangelium requirat, quæ duo, inter se distincta, nemo facile conciliabit. Pugnat deinde contra alienam explicationem vox requirere, quæ simul est verbum mandati, atque hoc sensu & de Lege, & de Evangelio eam Sp. usurpavit, siquidem nullam aliam adjectit limitationem, nisi quod lex comminationem, Evangelium vero virum simul donationem conjunctam habeat. Et quid aliud indigitant verba sequentia: *So trägt auch die Gnade Gedult mit wenigern Früchten, wo wir nicht weiter kommen können, da das Gesetz alles vollkommen haben will.* Quæ sane verba cum antecedentibus collata perversam Novaturientis sententiam satis liquido expoununt. Quodcumque enim non solum *sanctam vitam* in se requirit, sed etiam *gradus sanctimonie* præscribit homini, illud pro norma B. O. est habendum. Atqui prius Evangelio tribuunt Novatores: E. illud pro norma sanctæ vitæ agnoscent. Quo ipso non solum Antinomorum sed Ponificiorum quoque idem statuentium vestigia pre-
mont. Vid. Bellarm. lib. IV de *justific.* cap. i. & ii.

§. VI.

Optimum tandem asylum in operosa verborum suorum defensione sibi reperisse visus fuit Dissentiens,

B 3

cum

cum priorem explicationem nimis jejunam esse inteligeret ipse, si ad interpretationem verborum communio-
nis cum Christo confugeret. Hinc in der völligen Abfertigung Dn. D. Schelvigi Cap. V. §. 6. inquit: *W*ie steht in denen von ihm selbst angeführten Worten, daß das Evangelium das heilige Leben fordere? Wohl aber Christi Gemeinschaft, diese ist ja nicht selbst das Evangelium, ob dieses wohl das Mittel ist zu solcher Gemeinschaft zu kommen und darinnen zu bleiben &c. Bene hæc dicuntur. Mireris autem Novatuirientem tam cito sui ipsius oblitum esse, cum in loco supra allegato, paulo ante verba adducta, ipse de Evangelio Legi contradistincto locutus sit, ac de eo objectionem formaverit. Accedit, quod in Appendix Confessionis ostenderit sufficienter, se per hanc Communionem intelligere Evangelium. Et quid multum obloquatur Dissentiens de recta interpretatione vocis, quam ipse pergit in der Abfertigung l. c. Und wie wenn ich sagen wollte, das Evangelium und alle seine Gnaden Schätze, ja ein ieglicher der selben fordern ein heiliges Leben, wie iede Wohlthat die Dankbarkeit davor fodert, sollte er mit Grund etwas darwieder sagen können? denn es ist ja eine jede Wohlthat eine neue Verbindung. Largimur, dari mutuum respectum inter beneficium & gratitudinem. Minus autem accurate dicitur, quod illud hanc requirat, nam hoc involvit mandatum. Homo, accepto beneficio, a lege stimulatur, ut gratum testetur animum. At ex Evangelio dona gratiae saltem cognoscimus, lex autem urget, ut pro beneficiis Deo gratias agamus. Inde homo non ab Evangelio, sed a lege ad sancte vivendum compellitur. Sequeretur præterea ex opinione Dissentientis, hominem non ob mandatum legis, sed ob accepta a Deo beneficia, pie vivere oportere. Cui autem bono lex inserviret, si Evangelium id posset præstare? Nescio igitur, quam victo-

DE ANTINOMIA RECENT. QUORUNDAM. 35

victoriæ laudem hac in re tribuat *Langius Novatori*, provocans in *Appendice P. III. Anti-Barbari* ad hæc verba, velut omni demonstratione Pythagorica firmiora, & ad diluendam Adversariorum imputationem maxime idonea.

§. VII.

Accedimus ad alium errorem Antinomicum excutiendum. Statuebant Antinomi veteres geminam pœnitentiam, alteram *legalem*, alteram *Evangelicam*. Vid. *Wigandi Propol. de Legib. div. Cap. de Antinomicis dogmatibus*, item *Hutteri Comm. in F. C. Art. V.* Hunc recoquunt errorem novi Antinomi, quorum Primicerii verba hoc facientia vide in der G. L. p. 802. Es ist ein grosser Unterschied unter einer Buſſe, die so zu reden eine gesetzliche wäre, wenn uns die Sünden leid sind, allein aus Furcht der Straße und Zorns Gottes, wo nur stets etwas Knechtisches in den Menschen bleibt; und unter der Buſſe, da das Evangelium rechtmäßig geführet wird, also, daß dessen Kraft auch in die Reue komme, und es aus einer Liebe zu Gott uns weiter thue Gott beleidigen, als die Schuld so vieler Straffen auf sich gezogen haben, womit alsdenn der Haß gegen die Sünden rechtmäßig wird, und da der Glaube wahrhaftig lebendig ist, aus der Kraft des Heiligen Geistes, der durch das Evangelium in die Herzen kommt, herrliche Früchte der Buſſe folgen. Conseratur *Auctor Lutheri redivivi*. De quibus verbis ita judicat *B. D. Hannekenius in Disput. de Bapt. primar. Chiliad. Epistol. ad Respondentem*: *Aut absurdâ sic Theologica multa offenduntur, aut tricæ sunt voluntarie, nihil ad veram Theologiam lucis afferentes.*

§. VIII.

Necessario hic evolutio vocum præmittenda est, quo ad pleniorem rei discussionem facilior deinceps patet aditus. Vox pœnitentie interdum accipitur ὀληκως, ubi

16 DE ANTINOMIA RECENT. QUORUNDAM.

ubi *Ens* aliquod *complexivum* est, atque contritionem, & fidem simul includit, verbo: totam hominis conversionem, *Luc. XIII, 3. XV, 7. Matth. III, 2. Luc. III, 8. Rom. II, 4. II. Petr. III, 9.* Interdum μεγιστῶς, ubi seorsim priorem partem pœnitentiae, quæ contritio est, notat. *Marc. I, 15. Luc. XXIV, 47. Ad. XX, 21.* Similiter vox *Evangelii* duplici quoque acceptance venit. Sumta ἐν πλάτει totam Christi, & Apostolorum doctrinam in scriptis sanctorum Amanuersum comprehensam, notat. Quo sensu concio pœnitentiae & remissionis peccatorum absque vitio nominatur. Ubi autem Legi *DEI* οὐτιδημένως opponitur, tunc non nisi pro concione gratiæ, & beneficiorum per Christum acquisitorum, habenda est.

§. IX.

Præmissis his, quæ πρὸς τὴν σοσίν faciunt, oritur nunc ζήτημα: *Utrum pro distincta barum vocum, in primis penitentiae, significatio, distinctio inter penitentiam legalem, & Evangelicam, tolerari possit, an non?* Nos utroque negamus sensu. Si prior attenditur, unicam saltem doceamus pœnitentiam, ad quam lex & Evangelium indi-vulso concurrunt nexu. Cujus partes sunt contritio ex lege, & fides ex Evangelio. Illa siue hac, & hæc absque illa pœnitentiam efficere nequit. Tametsi vero hac ratione partim ad legem, partim ad Evangelium referatur, re ipsa tamen pro una æstimanda est, nisi data opera ἀρθροποιεῖ veritatis lædere velimus. Si posterior valet sensus, multo minus distinctio potest admitti, quoniam sic cum Antinomis Evangelium in concionem pœnitentiae commutamus. Longe vero aliam descriptionem Evangelii nobis suppeditat Spiritus sanctus, qui illud nominat Evangelium pacis, *Ef. LII, 7.* Evangelium gaudii magni *Luc. II, 10.* Evangelium gratiæ Dei *Ad. XX, 24.* Evangelium salutis *Rom. I, 16.* Evangelium bonorum *Rom.*

DE ANTINOMIA RECENT. QUORUNDAM. 17

Rom. X, 15. Ministerium iustitiae 2. *Cor. III, 7.* Ministerium reconciliationis 2. *Cor. V, 18.* Sic pii Majores in Epitome F. C. inquiunt: *Credimus, docemus, & consistemus, quod Evangelium non sit concio penitentiae arguens peccata, sed quod proprie nihil aliud sit, quam letissimum quoddam nuncium, & concio plena consolationis.* Huic contrariam sententiam, tum temporis, modis omnibus propugnarunt Antinomi, dederuntque operam, ut rationibus quibusdam suam de Evangelio hypothesin stabilirent. Hinc summo studio conquisiverunt argumenta, quibus ad probandum uterentur, & aciem contra dissentientes instruerent. Praesidium itaque exquisitum se inter alias rationes invenisse ratus est *Christopherus Pezelius* in distinctione notata, qua sufficienter probet, Evangelium simul esse concessionem penitentiae. En hic conformitatem Antinomorum sententiae, atque Novaturientium modernorum!

§. X.

Quamobrem sibi temperare non potuerunt Theologi, quibus vera doctrina curæ cordique est, quin Dissidentem hoc de dogmate monerent, & meliorem ipsi fuaderent mentem. Id negotii præter *Dn. D. Schelwigium in Piet. Seclor. P. III.* in se suscepereunt, statim sub initium motuum Pietisticorum, *Theologi Vittembergenses in der Christ-Lutherischen Vorstellung Art. XII.* atque hanc penitentiae distinctionem tanquam erroream rejecerunt, præmissa veræ doctrinæ confessione. *Wir glauben, inquiunt, bekennen und lehren, daß die wahre Buße nur einerley sey, wie die heilige Schrift eindlich nur eine Buße geöffnet hat, und Aug. Conf. nur eine Buße bekennet.* Ägre hanc objectionem ferens Novator, ne porro alienam proderet mentem, consensum suum cum genuinis Ecclesiæ Doctoribus in der Übereinstimmung jactavit. Nihilo tamen feciūs verba sua, ad quæ provocatum fuerat, additis, sce-

C

ptico

18 DE ANTINOMIA RECENT. QUORUNDAM.

ptico quodam modo, quibusdam voculis, & limitationibus nihil ad rem facientibus, excusare est conatus. Ich bekenne mich, inquit, nichts desto weniger zu meinen Worten, und sind dieselbe unsträflich. Subjicit tandem, aus diesen Worten folge nicht, daß eine doppelte wahre Buße sey, denn die erste Art, die ich eine Gesetzliche genannt, ist keine eigentliche wahre Buße, noch erlange, wo es dabey bleibt, einige Gnade, sondern sie ist in der That eine heuchel, oder falsche Buße, oder ein Weg derselben. Apparet autem Novatorem incidisse in Scyllam, cum evitare velle Charybdim.

§. XI.

Supervacaneum esse judico, ea repetere, quæ Venerandus Ordo Theologorum in der Antwort und Rettung der Warheit ad consensum Dissidentis jactatum regessit. Quantamcumque enim dederit operam, ut sinistram de se opinionem ex animis aliorum evelleret, ita tamen se expedire non potuit, quin in sensu Antinomorum hæreret, quod pace manium ejus dixerim. Narravimus supra, Antinomos conceptis verbis docuisse *duplicem* pœnitentiam, alteram *legalem*, alteram *Evangelicam*, & quidem eum in finem, ut evincerent, *Evangelium esse concionem pœnitentiae*. Laborandum nobis nunc est de sensu, utrum ex mente Antinomorum hac distinctione usus fuerit ò dævo. Quod faciliter negotio ex ultimis ejus verbis probare possumus. Argumentamur hunc in modum: *Quicunque pœnitentiam sic dictam legalem esse falsam, Evangelicam autem veram, docet, ille veram peccatorum agnitionem ex Evangelio fluere affimat.* Atqui prius docent Novatores! E. & posterius. Porro: *Quicunque ex Evangelio agnitionem peccatorum deducit, ille Evangelium concionem pœnitentiae facit.* Atqui Novatores &c. E. Imo hoc ipso *Calvinum* sequi videntur, qui Lib. III. Inst. cap. 3. §. 4. geminam hanc pœnitentiam asserit. Quid vero hac distinctione velit, Bucanus Lib.

XXX.

XXX, quæst. 4. nos informat. Etenim hic contritionem aliam legis; aliam Evangelicam tradit, illam, ait, vocari μετανόησιν, hanc μετάνοιαν. Confer. Beza ad Matth. III. Danæus C. LII. L. 4. de fide. Vid. e nostris Menzer. Exeg. Aug. Conf. Art. XII.

§. XII.

Valde autem offensum, peccatumque in eo fuit, quod Dissentiens docuit, pœnitentiam sic dictam legalem esse falsam. Nam vera illa utique est, sive species originem, proficiscitur enim a lege, veritatem divinam continente, quam negare idem esset, ac æternæ obloqui veritati: sive species effectum. Lex in homine nondum in viam reducere vere operatur, eum arguendo, convincendo, judicando, & condemnando. Vera quoque est in se, si species veram peccatorum agnitionem, & verum peccati odium. Quare Declaratio F. C. de pœnitentia in oppositione fideli ait: *Eam esse peccata vere agnoscere, serio dolere, a peccatis in posterum abstinere; Ea vero peccatorum agnitus ex lege est &c.* Notatu digna quoque sunt verba Lutheri, T. IIX. Vitemb. p. 334. idem affirmantia: *Wenn der Heil. Geist die Flamme des göttlichen Gerichts durch das Wort (intellige verbum legis!) in unsere Herzen sendet, so folget alsdenn nicht heuchlerische, sondern warhafftige, und ernsthliche Bewegung, Schmertzen, wegen der begangenen Sünde, Bekänftigung der Sünden, und guter Vorfaß, die Sünde hinfort zu meiden, und zu fliehen: Wenn wir die Sünde bekennen, und dieselbe bereuen, so ist die Buße schon angefangen.* Largimur autem ultro, eam non esse salutarem, ob defectum fidei, nec sufficere ad salutarem conversionem, nisi fides in Christum accedat. Interim contritio ex lege manet pars veræ pœnitentia, modo res seponantur circumstantes. Poteſt enim evenire, ut in hoc illo-ve homine speciem veræ contritionis præ ſe ferat, quæ falsa eſt, & hypocritica Contritio. Vid. Dn. D. Grapii

20 DE ANTINOMIA RECENT. QUORUNDAM.

Compend. Theol. Cap. de pœnitentia B. D. Hanneken.
Disp. cui titulus: Logi evagantes.

§. XIII.

Ponderanda nobis nunc sunt assertionis momenta, quibus Novatores tanquam firmissimo utuntur propugnaculo. Scribit 1.) Dissentiens, in verbis primum allegatis: *In pœnitentia legali, hominem quidem dolere de peccatis, sed metu pœnae, & iræ Divinæ, ideoque semper aliquid remanere servile.* Respondemus: metum pœnae, & iræ Divinæ, omnino in homine excitare dolorem peccatorum, & quidem virtute legis, quæ operetur contritionem, servile autem illud, quod in homine residuum est, accedente vera fide in Christum, perire. At enim vero hæc ratio nec probat *geminam* pœnitentiam, nec ostendit, quod vera contritio demum ex Evangelio oriatur.

§. XIV.

Objicit 2.) in pœnitentia legali amorem peccati in imo cordis fundo remanere; *Die Liebe gegen die Sünde bleibe in den innersten Grund des Herzens stecken.* Respondemus ex concessis. Ubiunque est dolor de peccato, ibi amor peccati cessat: Atqui in pœnitentia legali dolorem adesse, concedunt Dissidentes: E. & amorem peccati abesse largiuntur. Porro: Quicunque est hostis peccati propter pœnam, quid obstat, quo minus ille quoque fiat hostis peccati in se spectati? Atqui homo pœnitentiam habens legalem, est hostis peccati &c. E. Majori lucem feneratur illud, quod homo ex revelatione legis satis cognoscit, omne peccatum esse odio dignum. Non quidem funditus amor peccati ex animo eradicator, siquidem per totum vitæ spatiū radix propter P.O. in homine remanet, perit tamen amor, quantum ad contritionem requiritur. Eandem nobiscum in sententiam incombūt B. Chemnitius in Exam. Concil. Trident. de pœnit.

nit, inquiens: *Contritio, quam Apostoli docent, sive ante Baptismum, sive in lapsis post baptismum, est agnitus, odium, & detestatio peccati. &c.* Conf. Celeb. Dn. D. Fechtii, Sylloge Contr. Disp. XXIX. §. 12. item Dn. D. Eilmari Tractat. qui inscribitur: *Die Pietisterey als das grösste Hindernis wahrer Gottseligkeit aus der Lehre von der Buße &c. erwiesen.*

§. XV.

Urgent 3.) Exempla Achabi, Caini, Iude, & Petri, in quorum ultimo pœnitentia Evangelica, in reliquis vero Legalis deprehendatur. Respondebimus de singulis. *Achabus*, si verum habuisset dolorem, utique vera ei contritio, adeoque pœnitentia, accepta partialiter, adscribenda foret. Quoniam vero contritionem vel omnino mentitus fuit, vel saltem cum vera in Messiam fide & firmo, constantique proposito vitam emendandi, non conjunxit, pœnitentia ejus prorsus non venit in censem, multo minus Novatorum opinionem confirmat. Nihil enim aliud hoc exemplum innuit, quam multos dari inter homines, qui pœnitentiam editis quibusdam signis, simulant, ejus naturam vero non induunt. Hic loci disceptatur non de pœnitentia fucata, sed genuina, utrum illa duplex sit, Legalis, & Evangelica? deinde, utrum vera contritio non ex lege, sed ex Evangelio fluat? Aliter comparatum est cum *Caino, & Iude*, quorum alterum legis divinæ fulmine perculsum, alterum de innocentis sanguinis effusione ex lege convictum, omnino serio doluisse de peccatis, afferere nulli dubitamus. Minime autem hæc contritio fuit salutaris, sicut *Petri*, quandoquidem fide in Christum carebat. Una interim fuit contritio Iude & Petri, cum genere, tum descriptione. Differentia autem, quæ hic offenditur, non a contritione ipsa in se, & per se spectata, provenit, sed a fide accedente, propter quam contritionem Petri justificatio & salus sequebatur. Vid. Hutter. Comm. in F. C. Art. V.

C 3

§. XVI.

§. XVI.

D. Zieroldus, ne nihil de hoc argumento monuisse videatur, in Synopsi veritatis Artic. XXII. Dn. D. Schelvigo, in Synopsi quærenti: *Unde probabitur, quod apud eos, (intellige Cainum & Judam,) non fuerit serium peccati odium?* onere probandi declinato, reponit quæstionem: *Unde probabitur, quod Judas Iscarioth verum odium non pœna, sed peccati habuerit?* Quem disputandi modum vix a tyrone expectaveris. Nos asserimus *odium peccati omnino* in animo Judæ locum habuisse, quandoquidem propter commissum delictum ad desperationem usque pervernit, quod minime futurum fuisset, nisi summa peccati detestatio adfuisse. Accedit voluntaria ejus *confessio peccati*, redditis simul triginta, quos ad perpetrandum facinus acceperat, argenteis. Pergit Zieroldus: *an lex potest tollere concupiscentiam? an quamdiu concupiscentia regnat, potest verum peccati odium adesse?* Respondemus: distingvendo inter concupiscentiæ motus, & eorundem dominium. Non tolluntur per legem motus primi, hi enim sunt inevitabiles, & piissimo cuique quotidie obrepunt, cessat tamen dominium. Probet autem antea Zieroldus, regnare concupiscentiam in contritione, & tunc ipsis largiemur, serium peccati odium non adesse.

§. XVII.

Obvertit 4.) vel potius nebulae errori offundit Novator in Appendix der Gewissens-Rüge p. 45. inquiens: *Pœnitentiam distingvi in hypocriticam seu falsam, & veram, distinctione non univoca, sed æquivoco in sua æquivocata, quandoquidem harum prima semper sit legalis.* Respondemus, recedi hic a statu controversiæ. Non enim queritur, utrum pœnitentia generatim considerata ita possit distinguiri, sed lis est de pœnitentia speciatim vera, an illa sit duplex, una ex lege, altera ex Evangelio? Nec verba,

ba, quæ loc. cit. sequuntur, rem explicant, quin potius confundunt: *Nun, inquit, alle falsche und beuchlerische Buſſe iſt bloß gesetzlich, und hat das Evangelium keinen Theil daran, wiewohl die wahre Buſſe in ihrer Reue freylich auch gesetzliches in ſich faſſet.* Cur pœnitentia hypocritica appellatur mere *legalis?* Nonne hypocrita *ſidem quoque ſimulare* potest? Quo pacto eodem jure pœnitentia *Evangelica* fuerit appellanda.

§. XVIII.

Provocant 5.) ad *Gerhardum*, qui mentionem fecerit pœnitentia legalis, & Evangelicæ. Sufficiat, loco responſionis verba ejus apponere. *Quidam*, ait, *difſiſionem inter veram & ſalutarem, ac falſam atque exiuialem pœnitentiam, ita afferunt, ut dicant, illam eſſe Evangelicam, hanc vero legalem.* Ubi tamen neceſſario addendum, quod contrito etiam in vera, & ſalutari pœnitentia, ſi ex lege. Diceatur igitur ſalutaris pœnitentia Evangelica, non omnium partium reſpectu, ſed ratione partis potioris, videlicet fidei, quæ eſt ex Evangelio. Procul dubio hic B. Theologus ſibi præfigavit animo, quod poſt mortem provocaturi ſint Novatores ad hæc verba, propterea neceſſariis ea munivit limitibus, extra quos non liceat vagari. Nihilo tamen minus *Zieroldus* in Synopſi audet afferere, hæc a B. *Gerhardo* ex ſua mente eſſe adducta.

§. XIX.

Venio nunc ad vindicias *M. Langii*, qui in Appendix P. III. Antibarbari, verborum Sp. interpretem, ſed in eptiſſimum egit. Evidem dubitare debebam hunc Polypyrgonicen aggredi, quandoquidem parum abeft, quin terrorem animo incutiant insolentis hominis verba, in Epiftola ad Theologos Parti primæ præmissa, quibus silentium generale diſſentientibus imposuit. *Mulio magis, inquit, quiescant velim, (ſic volo, ſic jubeo)* Magiſtelli

24 DE ANTINOMIA RECENT. QUORUNDAM.

stelli Academicī &c. Perinde ac si Magister Langius tantæ est auctoritatis, ut ne hiscere quidem adversus eum ulli mortalium licet. Sed parum ista curamus. Audiamus hominis verba: *Falsum est*, ait, *Spenerum statuere duplēm pœnitentiam sive Legalem, & Evangelicam, ita ut utraque vera sit, sed tantum negat, eam pœnitentiam, cui desit fides, esse genuinam, dicitque quasi nude legalem fore, die, so zu reden, nur eine Gesetzliche wäre.* Nec pœnitentiam veram vocat Evangelicam, sed pœnitentiam, cui adſit vis fidei, quæ coniritionem, quæ omnino per se legis sit, salutarem faciat. Allegatum Speneri locum jam olim a Theologis Wittembergensibus per imperitiam Theologicam malitiæ juncitam impugnatum solidissime ipse vindicavit in der Übereinstimmung. Sufficent, quæ hactenus sunt disputata ad has Langianas vindicias diluendas. Ne tamen nostris deesse partibus videamur, adjiciamus quædam. Callide hic M. Langius ea tanquam vera ponit, quæ tamen in controversiam veniunt. Unum hoc est ex *Novo Testamento*, utrum pœnitentia sic dicta legalis, per quam *contritionem ex Lege* intelligit Novator, quantum ex scriptis ejus patet, jure appetetur falsa. Id quod a nobis supra est negatum. Negat porro M. Langius, pœnitentiam veram a Novatore vocari Evangelicam. Sed ita rem non vindicat ab errore. Sufficit, quod Novator verbis idem valentibus rem expresserit. Accedit, quod hanc appellationem in certamine a Dissentientibus ipsi objectam nunquam respuerit. Aut itaque Langius verba Speneri non inspexit, aut inspicere noluit. Calumnias, quibus invehitur in Ordinem Theologorum Vittembergensium, ne attendimus quidem. A Langio enim vituperari, est laudari.

S. XX.

Minime nobis h. l. prætereunda est, sententia *Doctoris Augustani*, qui suis in *Primitiis veterum Antinomorum ero-*

orem, ex parte saltem, recoquere visus fuit. Deprecatur is quidem, ac refugit *Antinomie* nomen, morem eorum se-
cutus, qui hoc tempore Chiliaſmum fovent, eundem ve-
ro spem meliorum temporum appellant. Ceterum ab o-
mni Antinomiae ſuspicione num queat absolvi, ipſe vide-
rit. Statuit enim gradum quendam ſublimiorem pœni-
tentia, eoque designat ejusmodi peccatorum diſplicentiam, a-
gnitione prævia directam, qua homo de iis triftatur, dolet, & angit-
tur, non qualitercumque, ſed eatenus, quatenus ſunt dedecora in
Servatorem Christum, & gratiam Evangelicam fidelissime ad-
missa. p. 18. Hujs pœnitentia naturam declarat per ſi-
militudinem, petitam ab exemplo Alexandri, qui cum vino
obrutus, nutricium & agnatum ſuum interfeciffet, diſcuffa ebrie-
tate, ſingularem egiffet pœnitentiam, eam ob causam, quia nutri-
cii & Servatoris ſui latro extiterit. Sic pari ratione peccator
vere poenitens doleat non propter iram aut pœnam, ſed propter
delicta ſua, in Servatorem ſuum unicum Christum peccantia.
Huic gradui ſublimiori præmitti debere docet septem alios, per
quos ad ſublimiorem adſcendat peccator. p. 43. Postea progre-
ditur ad causas, unde nam hæc proficiſcatur pœnitentia, afſer-
ritque, eam dependere ab Evangelio, quod non ut doctrina tota
ſacra, ſed ut doctrina legi contradiſiſta, agnitionem & diſpli-
centiam peccatorum, cum anime corporisque dolore maximo
coniunctam, abſtrahendo a minis legis, & cogitatione, vindicta-
que divinae operetur. p. 48. Discedit igitur Auctor quidem,
quantum apparet, a ſupra memoratis Novatoribus in
eo, quod ſumnum tantum gradum pœnitentia ex Ev-
angelio deducat, hi vero aliam a pœnitentia legali diſtin-
ctam pœnitentiam Evangelicam ſtatuant, convenit ta-
men in momento rei, nempe quod Evangelium contri-
tionem quoque operetur.

§. XXI.

Cui quidem ſententia calcum adjicere, merito

D

du-

26 DE ANTINOMIA RECENT. QUORUNDAM.

dubitamus. Hic enim urgeo illud Paulinum *Rom. III, 20.*
διὸν γοῦν ἐπίγνωσις αἰματικός. Et quoniam *propositio infinita*, in materia doctrinæ, *equipollit universali*, ex eodem sic infero: *Si omnis agnitus peccati ex Lege fluit, etiam summus contritionis gradus inde derivatur.* Atqui. &c. E. &c. *Dn. D. Dissentiens sua pro sententia hoc struit argumentum: Quicquid nos facit agnoscere, & cum dolore odisse peccata, ut injuria in gratiam Evangelicam, sive Christum & beneficia per ipsum parta, illud parit gradum pœnitentiae commemoratum.* Subsumit deinceps de *Evangelio*, atque subneicit rationem, *quia illud gratiam Evangelicam proxime, & immediate docet. p. 50.* Verum hic opus est explicatione, ac temperamento, qua Majorem propositionem. Q. nos facit agnoscere &c. *tanquam medium* &c. illud parit gradum &c. Verum sic limitata Majore, negatur Minor. Distinguendum enim hic fuerat inter ansam, vel occasionem præbitam ab *Evangelio*, & sumptam a *Lege*. Natus, passus, crucifixus, mortuus est Christus, non in terrorem hominum, sed solatium, non ut his ipsis dolorem, sed ut gaudium, excitaret. Ergo nec medium, per se, esse potest gratia DEI, concipiendæ contritionis. Rem simili illustro. Amiseria hominis spirituali ansam sumpsit Deus ostendendi misericordiam, & Filium mittendi in carnem, neque tamen propterea miseria nostra medium est, gratiam & misericordiam DEI in nos provocandi. Aliud enim est occasio, & ansa; aliud est medium. Medium est causa rei: occasio non est causa: Confunditur præterea objectum, cum principio, perinde, ut *p. 44.* classes & genera objectorum, cum gradibus pœnitentiae, ac doloris. Dolet peccator, ac dolere debet, ob injuriam in Servatorem, præclare de se meritum, per peccata illatam, malamque ei relatam gratiam; Verum propterea Evangelium, in quo agitur de Servatore, non est medium excitan-

tandæ contritionis, sed tantum est objectum peccati, cuius intuitu aggravatur reatus, & consequenter dolor augeatur. Medium concipiendi contritionem & dolorem, semper & ubique Lex est, quæ sola conterit hominem, quemcunque respicias contritionis gradum, objectum autem, & occasio variat, atque pro re nata ex Evangelio petitur. Cum enim lex hominem accuset propter omnia peccata, ab ipso commissa, ostendendo simul eorum turpitudinem, ansam interdum quoque capit a contemptu gratiæ in Evangelio revelatae. Qui utique excellens est contritionis excitanda modus. Enimvero ita concluditur: Ob peccata in Christum Servatorem, & gratiam Dei, commissa, acerbissime est dolendum. Cur vero? Quia sunt injuria in Servatorem præclare de nobis meritum. Consideratio igitur, & agnitus injuriæ, bene merito Servatori illatæ, & inde oriunda ingratitudinis conscientia, medium est excitandi dolorem. Quidnam vero docet, peccata illa esse injurias, vel ingratitudinem esse peccata, nisi Lex? Hæc igitur hunc quoque contritionis gradum, perinde ut reliquos, excitat.

§. XXII.

At, inquit Dn. D. Dissentiens, paenitentiam hanc non tam ex consideratione ire & pœna divine, quam ingratitudinis oriri. Respondemus: Nonne Lex hanc quoque arguit & revelat? Nonne Alexander deplorans mortem Clyti innocentem, a Lege naturæ, interno velut judice, ad tristitiam commovebatur? Curigitur legi revelatæ hanc virtutem denegare volumus? Quibus consideratis, sponte concidit alterum argumentum priori innitens, quo asserit, multum abesse, ut per minas legis agnitus & dolor de peccatis præcise ut injuriis in Christum progenorari queat. p. 50. Quid enim obstat, quo minus Lex, si præcise fertur in objectum, a contemptu gratiæ Evangelicæ desumptum, etiam contritio-

nem peccati præcise in Christum injurii excitare possit. Obvertit denique Auctor concionem Petri *A& II, 22*. Stephani *A& VII*. & aliorum, qui doctrina de Christo in auditoribus suis dolorem operati sint p. 52. Idem est argumentum, quod *Bellarminus* Evangelium concionem pœnitentiae faciens, obicit, *Lib. IV. de justific.* Respondemus autem: Erant haec conciones non pure Evangelicæ, sed simul legales. Etenim Apostoli revocabant Iudeis in memoriam, quantum facinus Christum crucifigendo commiserint, propter quod poenas debitas meritasque persolvere olim deberent, nisi pœnitentiam agerent seriam. *Vid. Eckard. Pand. Contr. Pont. C. XXI. queſt. 4.* Tandem sub finem scripti Auctor quæstiones subjungit, quarum tertia & septima huc spectantes haec sunt: *An Iude proditori defuerit fides tantum, dolor autem de parricidio admisso minime?* *Resp. Defuit virtus utraque.* Porro: *Annon lex & Evangelium in progeneratione quoque doloris de peccato sunt conjunctissima, non tantum in pœnitentia ὀλυμπια sumta?* *Resp. Sunt uirque.* Quibus quæstionibus probationem adjecit nullam, quandoquidem ex præsuppositis haec omnia sufficienter constare, procul dubio ratus est. At enim vero gradus ille sublimior pœnitentiae, stricte sic dictæ, ex Evangelio fluens tanquam πρῶτον ψεῦδος, male hic supponitur. Hoc igitur remoto, prout hactenus fecimus, quæstionum quoque harum assertiones corruere arbitramur. *Conf. Ius. Meyeri defens. vera doctr. de Contrit. ex sola lege. imprimis vero Unsch. Nachr. Ao. 1708. p. 626.*

§. XXIII.

Cum hac controversia hactenus enodata, connectenda est alia Legis, & Evangelii confusio, a Novatoribus tentata, quæ ad prioris controversiae intelligentiam multum facit, atque dilucide exponit, quid distinctio pœnitentiae legalis, & Evangelicæ in recessu habeat. Per-

gunt

gunt enim assertere, quod natura contritionis mutetur per Evangelium. Sic *νοτερηπίων* in verbis supra adductis inquit, longe aliam esse rationem contritionis, ubi virtus Evangelii in eam veniat. Quo pertinent verba *in den Lebens-Pfl. P. II. p. 193.* Wenn der Glaube in denen Herzen anfängt, da wird die Reue, so erst nur aus der Erkänntniß des Zorns Gottes entstanden war, und uns vielmehr von GOTTT zurück getrieben hätte, gantz einer andern Art, als sie vorher gewesen war. Denn vorhin war es nur eine Reue, daß man sich die Sünde hätte lassen leid seyn, weil man aus dem Gefühl Göttlichen Zorns spürete, wie man darüber so schwere Strafen leiden solle &c. Aber wenn der Mensch nun GOites Gnade auch erkannt hat, ein Vertrauen gegen sie schöpft, und Gott aus solchen Vertrauen wieder liebet, da ist ihm die Sünde an ihm selbst leid &c.

§. XXIV.

Momenta saltem controversiarum, quantum de ea satis est ad scopum, in compendio tradamus. Constat de Antinomis, quod quidam eorum officium legis in negotio conversionis plane rejecerint, docentes, eo ad nullam partem conversionis opus esse, ut videre licet apud Schlußelb. Catalog. Heretic. L. IV. Quidam vero paulo subtilius sententiam suam proponentes, Legem non penitus rejecerunt, ejus tamen *ἐνέπνειαν* imminuerunt tanto-pere, ut plus virtuti Evangelii, quam Legis, in conversione adscribendum esse videretur. Cum his posterioris ordinis Antinomis egregie conspirant Novatores. Non enim penitus legis praeconium seponunt, ita tamen rem effterunt, ut majus pondus Evangelio in contritione tantum non tribuant, & quidem ejusmodi, ut contritio alias conditionis, *indolis & naturæ* fiat, quam antea fuit. Quam sententiam, neque Scripturæ S. neque libris Symbolicis conformem, merito repudiamus. Nam contritio quanta quanta est, quounque etiam tempore, & re-

30 DE ANTINOMIA RECENT. QUORUNDAM.

spectu consideretur, ex sola lege fluit, nec aliam natu-
ram induit, accedente fide in Christum, quam antea ha-
buit. Cumque Lex sola arguat peccatum, & ostendat
eius magnitudinem, agnitus & odium peccati aliunde o-
riri non potest, nisi ex lege. Unde homo deinceps serio
dolet, se peccasse, non tantum propter iram divinam, sed
propter ipsam quoque peccati turpitudinem, quam ex
lege cognoscit. Huic contrito tandem succurrit solati-
tum gratiae divinae ex Evangelio, unde fides & fiducia de
remissione peccatorum enascitur, quae erigit, & vivificat
animum, ut laetus esse possit propter reconciliationem,
& pacem cum DEO, juxta Rom. V, 1. Quae omnia mirum
in modum a Novatoribus confunduntur, tantum ut du-
plicem poenitentiam, de qua supra egimus, eo speciosius
statuant, ac persvadeant.

§. XXV.

Ponatur autem, contritionem mutari per Evangelium,
atque melioris conditionis fieri: jam, inter alios, hic prae-
cipue sequetur Antinomius error: hominem regeni-
tum non amplius indigere Lege, dum Evangelium sup-
petat. Nam consecutio est prona: Si vera contritio, &
verus, ob admissa peccata, dolor fluit ex fide, quam solum
producit Evangelium, tuto carere possumus opera Legis.
Ratio est in promtu, quia haec melius ex Evangelio dis-
cuntur. Operae pretium est, verba B. D. Hannekenii de
hoc argumento inserere: *Itane lex, inquit, in regenitis, luce
gratiae irradiata, dediscet naturale suum officium, & debet dici
dolere ex fide amoris divini, qui non potest aliter dolere, quam ex
sensu sue imperfectionis, secundum legem agnitæ, ita ut letetur
magis, quam doleat super gratia remissionis?* Confunditur hic
officium Legis & Evangelii, & status regeniti hominis habetur ut
exlex, cum tamen ille sensu imperfectionis legalis pugnet ex fide
contra imputationes a lege sibi factas. *Vivius igitur Evangelii*
non

non descendit in contritionem, ut illa immutetur, sed subvenit consrito, ut solatio gratiae perfruatur.

§. XXVI.

Quæ B. hujus Theologi verba, licet eum in finem obverterentur Sp. ut se reciperet ad frugem, cognito, quid falsa hæc sententia post se traheret, non tamen ejus correxerunt animum, sed irritarunt, ut in errore suo perstaret. Hinc fortiter pro eo dimicavit in Appendix der *Gewissens-Rüge*, non quidem firmis argumentis, sed testimoniiis quorundam Theologorum, mirum quantum detortis. Ita vero exceptus est a B. D. Hannekenio in disputat. de *Legi evagantibus*, ut satis innotesceret, frustra hæc Theologorum loca, in causæ præsidium, esse allegata.

§. XXVII.

Argumentum 1.) quo fese tueri studebat Dissentiens, illud est: *Ante fidem non adesse dolorem pænitentiale, ob amorem DEI, qui demum ex fide fluat, & commutet naturam contritionis.* Respondemus, affirmando, omnino adesse dolorem ob amorem DEI, in corde hominis contrito, quoniam talis peccator optat, se nunquam habuisse odium, aut in posterum habere. Vi itaque oppositorum hoc sequitur. Argumentamur porro: *Quicunque dolet, se habet amorem DEUM non amasse, sed amore peccati amorem DEI insuper habuisse, ille serio desiderat DEUM ut Creatorem, & Benefactorem amare, si verus dolor adest.* Qui dolor aliunde provenire non potest, nisi ex revelatione Legis, quoniam homo ex Evangelio in hoc angore deinceps nil nisi gaudium percipit. Lex igitur urget amorem, quem deseruit homo, & impellit eum ad amandum DEUM. *Deut. VI, 5.* *Matth. XXII, 37.* Non autem cum hac quæstione confundenda est illa, undenam hominem amandi DEUM accipiatur, utrum ex lege, an ex Evangelio? Quis vero tam absurdus

dus

32 DE ANTINOMIA RECENT. QUORUNDAM.

dus erit, ut ex eo commutationem contritionis, & dolos inferre velit.

§. XXVIII.

Objicitur 2) *Contritionem alias non esse plenam, nisi facta immutacione per Evangelium.* Respondemus, hæc absque probatione dici. Latet quoque diversa significatio sub voce plena, si idem valet ac *salutaris*, concedimus, eam non esse plenam absque fide; plena tamen est *in suo genere*, quanta nempe fidem salutarem præcedere debet.

§. XXIX.

Objicitur 3) *Non placere DEO Contritionem, nisi facta hac immutacione.* Respondetur: Placet utique DEO, tanquam opus Spiritus Sancti, in homine convertendo productum: Placet, tanquam pars pœnitentiae salutaris: Placet, quia compellit peccatorem ad Christum: Placet, quia DEUS per præconium Evangelii talem contritum erigit, & consolatur. Sic Davides Psalm. LI, 19. inquit: *Cor infra dictum & contritum DEUS non despiciens.* Et LXVI, 2. ait Jehovah: *ad hunc vero respicio, ad miserum, & afflictum spiritum, & timentem sibi super verbo meo.*

§. XXX.

Objiciunt 4) ad emolliendum errorem, *distinctionem pœnitentiae lapsorum, & statuum, quæ maxime velificetur huic sententie.* Respondemus: Bene equidem se habet hæc distinctio; sed non est distinctio *contritionis*, sed hominum contritorum, in quibus sœpe quedam occurunt, quæ naturam contritionis non mutant. Nam hæc ubique, si originem spectes, tota ex lege est, sive *ante statum*, sive *in statu fidei* consideretur. Accedit, quod contritio *statuum* in fide, se non habeat, ut *pars essentialis pœnitentiae*, quæ requiritur ad convertendum hominem ante fidem, sed est *consequens fidei*, in continuata pœnitentia, regeniti, & conversi. Locum enim habet in *statu gratiae*, & spe-

Etat

DE ANTINOMIA RECENT. QUORUNDAM. 33

Etat ad renovationem, duratque, certe durare debet, per totum vitæ spatium. *Hæc pœnitentia in Christianis, inquiunt Artic. Smalcald. p. 377.* durat usque ad mortem, quia luctatur cum peccato residue in carne per totam vitam, sicut Paulus Rom. VII. ostendit, se belligerare cum lege membrorum suorum &c. idque non propriis viribus, sed dono Spiritus Sancti, quod remissionem peccatorum sequitur, & quotidie peccari reliquias purgat & expellit, & in eo est, ut hominem purificet, retificet, sanctificet.

§. XXXI.

Objicitur 5) Auctoritas Theologorum quorundam, Lutheri, Cundisi, Danbaueri, Hülfemannii, & aliorum. Non vacat, verba eorum sigillatim ab interpretatione dissentientium vindicare, monemus igitur generatim de iis, quod minime adstipulentur sententiae, quasi mutatio contritionis per Evangelium fieret, aut præsentia fidei ad veritatem contritionis requireretur. Si quid autem in Scriptis eorum reperitur, quod in hanc sententiam trahi possit, id evenit non Auctorum consilio, sed vitio Interpretum. Quamobrem verba eorum sunt consideranda nec ἀπλῶς, nec extra contextum, sed intra contextum, collatis antecedentibus, & consequentibus, cum respectu ad personas, contra quos disputant, atque talia urgent, cum respectu ad tempus, & finem, qua occasione, quemque in finem, ita Auctores sunt loquuti. Imprimis notandum est, illis præcipue esse sermonem de statu hominis regeniti, & contritione, quæ cum statu convenire debet, non vero de conversione prima irregenitorum, & eorum pœnitentia. Loca Theologorum sigillatim discussa Vide apud B. D. Hanneken. disp. cit. Conf. Dn. D. Schelvigi Piet. Sechor. P. III. p. 151. Synops. p. 239.

§. XXXII.

Progedimur ulterius in examinanda Novatorum

E

Anti-

34 DE ANTINOMIA RECENT. QUORUNDAM.

Antinomia, & quidem ad errorem, qui respicit dicta Scripturæ S. de passione, & morte Christi agentia. Defendebatur olim ab Antinomis, vix inveniri occasionem excitandæ contritionis meliorem ea, quæ ex consideratione passionis, & mortis Christi hauriretur. Progressu autem temporis hæc sententia in eum abibat errorem, ut, neglecto Legis præconio, pœnitentiam solummodo per injuriam Christo illatam, excitandam esse, contenderent. Hanc cantilenam repetunt Novatores, quia aliam fere pœnitentiam admittere nolunt, nisi ex consideratione passionis, & mortis Christi ortam. Testantur id verba, quæ leguntur in der Seeligkeit der K. G. p. 342. Gewißlich, wer durch Betrachtung des bittern Leidens und Sterbens Jesu Christi nicht zur schmerzlichen Reue und Leid über seine begangene Sünde erwecket, und zur wahren Buße, Vernichtung, und Verleugnung sein selbst gebracht wird, dem ist mit keinen Dräuen des Gesetzes zurathen, noch zu helfen. Videantur hanc in rem ex nostris Celeb. Dn. Bucheri Luth. Anti-Pietista p. 97. item Pietista σύμβολο p. 47. Dn. D. Schelvigi Sectirische Pietisterey Art. XXIX. Synop. & suppl. Art. XXIII. Christ-Lutherische Vorstellung Art. XII. thes. 3.

§. XXXIII.

Duplex hic habendum est respectus dictorum, quæ mentionem passionis, & Mortis Christi faciunt. Spectantur enim vel in se, ratione iræ divinæ, quam Servator in se suscepit, vel ratione meriti, & redemptionis, quæ in hominum salutem cedit. Priori respectu ad Legem; posteriori, ad Evangelium pertinet. Atque hæc ultima acceptio venit in controversiam. Fatetur equidem Novator in Confessione, se non fugere hojus rei scientiam, sed eo ipso studium confusionis prodidit. Transeant reliqua, quæ minus accurate & solide ibi traduntur, commonstrabimus saltem consensum cum Antinomis. Pone quæ-

so,

so, omnem spem salutis illi esse denegandam, qui non ex consideratione passionis & mortis Christi dolorem percipit, nonne potestas legis imminuitur? Exulet igitur Lex, & exterminetur ex Ecclesia. Netamen videamus praeter meritum, Novatori hanc affinxisse opinionem, concludimus hunc in modum: In quoque per comminationes legales contritio nullo modo excitari potest, penes illum virtus legis est inanis. Atqui in eo, qui ad contritionem non permovetur consideratione passionis, & mortis Christi, per comminationes legales contritio excitari nullo modo potest. E. &c. Majorem sua radice luce arbitramur, minor tota est Novatoris. E. conclusio est clara.

§. XXXIV.

Nolumus cramben toties coetiam apponere, & operationem legis, in conversione hominis contra dissentientes adstruere. Sufficit, quod Lex sola manet principium *causalium contritionis*, & se quoque exerit in iis, in quorum animis recordatio passionis, & mortis Christi nulla adest. Confirmant id exempla, in sacris Literis obvia. Sic in Vet. Test. David voce Nathanis de viro mortis ita commovebatur, ut seriam peccatorum confessionem ederet. 2. Sam. XII, 13. In Nov. Test. Festus solum praeconio legis de judicio extremo terrebatur. Act. XXV, 25. Interim non negatur influxus verborum de passione & morte Christi, ad promovendam contritionem. Quicquid autem haec doctrina confert, id non sit *directe, primo, antecedenter, causaliter, materialiter, formaliter, & finaliter, sed indirecte, & consequenter*. Nam causaliter descendit ab infinita, & immensa misericordia Patris: materialiter versatur circa deletionem, & remissionem peccatorum, atque poenarum: Formaliter respicit applicationem meriti Christi: finaliter tandem conducit ad salutem, pro-

36 DE ANTINOMIA RECENT. QUORUNDAM.

utiloquuntur Theologi Vittembergenses im freuden-vollen Ge-wissen P. II. Art. XII. p. 393. Qua ratione nihil seius ad poenitentiam pertinet, ad posteriorem nempe ejus partem, fidem, qua apprehenditur doctrina plena consolationis, ut animus contritus ob solutionem lytri erigatur. Indirec[t]e autem, & consequenter contritionem promovet, ubi ex historia passionis cognoscimus, quid, & quantum Servator noster pro nobis perpeccus fuerit, & quantum eum reatum, noxamque fuisse oportuerit, quæ, nisi DELipsius incarnati morte, expiari non potuit.

§. XXXV.

Objiciuntur 1) verba Lutheri ex Tom. I. Altenb. fol. 296. & Kirchen-Poßtl. f. 320. Die bedencken das Leiden Christi recht, die es also ansehen, daß sie hertzlich davor erschrecken, und ihr Gewissen gleich sinket in ein Verzagen. Das Schrecken soll daher kommen, daß du siehest den gestrengen Zorn, und unwandelbaren Ernst Gottes über die Sünde und Sünder, daßer auch seinem einigen, und allerliebsten Sohn hat nicht wollen die Sünder losgeben, er thäte denn vor sie eine solche schwere Busse &c. Respondemus, 1) loqui hic Lutherum de passione & morte Christi, non, quatenus est doctrina fidei, sic enim nunquam animos hominum formidine opprimit, sed quatenus est historica narratio: 2) verba esse intelligenda non exclusive, quasi alia ratione contrito excitari nequeat, prout Novator legem excludit, sed inclusive, ita, ut legi virtus sua non detrahatur: 3) loqui Lutherum non didascalice, sed paediatrico, monere unumquemque, ne obiter historiam passionis, sed diligenter perpendat. Et quomodo Lutherum sibi ὥμοψις Differens facere potuit, cum Theander noster omnem confessionis suspicionem hac in parte, a se removeat in praesamine positionum Antinomicarum, quarum prima de poenitentia, solummodo ex consideratione passionis & mortis Christi oriun-

oriunda, agit. Damit ich, inquit, aber nicht verdacht werde, als ob ich dieselben Sprüche mit meinem Stillschweigen für recht hielte, habe ich sie öffentlich durch den Druck lassen ausgehen, auf daß ich jederman, wer sich will warnen lassen, kund thäte, daß ich an solchen lästerlichen Schwärmereyen ein groß Missfallen habe. T. VII. Altenb. f. 314.

§. XXXVI.

Objicitur 2) Testimonium F. C. quæ p. 712. Imo, inquit, quæ magis severa & horrenda significatio, atque concio iræ divinæ adversus peccata est, quam illa ipsa passio & mors Iesu Christi filii DEI. Veruniamen, quoad hæc omnia iram DEI offendunt, & hominem terrent, nondum sunt propria Evangelij, & Christi concio, sed potius Moses, & Lex contra impenitentes. Tantum abest, ut hic locus patrocinetur sententia Nostrarum, ut potius contra eam pugnet, modo attendatur ad ea, quæ partim antecedunt, partim sequuntur. Primum F. C. discrimen Legis & Evangelii majorem in modum commendat. Deinde pergit: *Evangelium, & Christus nobis non eam ob causam donantur, ut nos perterrefiant, atque condemnent, sed ut ii, qui perturbati, & pusilli ames sunt, consolationem capiant, atque erigantur.*

§. XXXVII.

M. Langius P. Halensis, cui ne mica quidem modestia supereft, jactat iterum vindicias hujus Argumenti in App. P. III. Anti-Barb. p. 369. Sed loco earum partim Dissidentis verba ex Confessione refert, tantum, quo Antibarbatus paulo amplior prodeat, partim calumniis onerat sinceros Theologos, quo, si non causa, criminandi tamen studio, superior evadat. Ad verba Confessionis responsum est jam dum a Venerando ordine Theologorum Vittembergensium, interprete B. D. Deutschemanno, in der Antwort und Rettung &c. Famam autem testium veritatis a criminationibus ejus vindicare, non opus esse

reor, quandoquidem, sive quis a *M. Langio* laudetur, sive vituperetur, perinde est. Miramur autem *M. Langium*, qui integer alioqui haberi vult *Theologus*, in recensenda controversiae historia, Novatoris quidem responsionum, non vero dissentientium scriptorum, in quibus errorum facta est discussio, mentionem fecisse. Quod sane malitia potius, & dissidentiae cause, quam ignorantiae adscribendum esse, arbitramur.

§. XXXVIII.

Quantumcunque demum studium Antinomi in emolliendis, hactenus enarratis, sententiis adhibeant, tamen nunquam efficient, ut omnem erroris, & offendiculi culpam a se amoliantur. Quam leves etiam haec controversiae videantur quibusdam, qui forsan per transennam eas inspexerunt, verendum tamen est, ne, procedente tempore, pristina hujus doctrinæ confusio, cum majori adhuc damno, in Ecclesiam irrumpat. Nam quid facilius eventu, quam ut Doctores, qui semel a justo secesserunt tramite, rupto hujus doctrinæ de Lege & Evangelio tenore, in pejores subinde prolabantur errores, atque rudiores, meliora non edocti, & ad pejora semper inclinantes, Legis usum, & observationem tandem aboleant. Diximus supra, nos minime dissentientes, quorum injecta est mentio, in numero Antinomorum crossorum habere. Cum vero incauti tandem discipuli prodant, quod quodammodo dissimularunt Magistri, vix fieri potest, quin participes quoque reddantur omnium eorum errorum, quos reliqua Novatorum turba fovet, atque spargit. Hæc enim sub praetextu libertatis Christianæ, quam homo spiritualis habeat, nimium quantum Legem a se removet. Instar plurium testatur hoc famosa illa *Anna Petersen*, quæ, cum in conventu Pietistico seducta, propter angores conscientiae Confessionarium

narium adiret, atque deinde coram judicio Hamburgenſi de doctrina quæreretur, respondit : Sie hätten auch die heiligen zehn Gebote, jedoch stünde bey einem jedweden ein Geiß ; und mache einen Unterscheid, zwischen dem innerlichen und außerlichen Menschen. Vid. Aufführliche Beschreibung des Pieriliſchen Unſugs p. 53. Conf. Dn. D. Mayeri Mßbrauch der Freyheit der Glaubigen zum Deckel der Bosheit. Observes hic loquentem Spiritum Antinomicum. Nam inter errores & hanc reperimus theſin: Carni in homine opus eſt lege, non spiritui. Nam spiritus prompte & ſponte omnia facit. Vid. Schluſſ. Catalog. P. IV. p. 4. Caro, homo externus, spiritus vero, internus, apud Novatores interdum audit. Hinc oritur quæſtio: an homini regenito Lex ſit neceſſaria?

§. XXXIX.

Tripliſem legis uſum tradunt Theologi. Primus audiſt Politicus, & respicit homines ferociſ, & contumaces, qui formidine poenæ, tum temporalis, tum æternæ, instar e- quorum ferocium, ſunt compescendi, ut honestas, & di- ſciplina ubique conſervetur. Qui uſus coactivus, & Politi- cus, ut ut quodammodo ex lege naturæ derivetur, non ta- men accedit ad eum, qui ex lege revelata fluit. Liceat nobis hoc loco, certis de cauſis, inſpergere quæſtionem: Num Magistratus Politicus auditores, cum proprio, tum Ministro- rum Eccleſiae, inſtruſtū, ad frequentanda exercitia Catechetica, & mittendos in ſcholas liberos compellere poſſit, ac debeat? Loqui- mur autem de iis auditoribus, qui in eodem Eccleſiae cœu vitam degunt, nec extra Eccleſiae vivunt pomœria. Loquimur de compulſu physico quidem, tamen non ty- ranico, cruento, & Papistico, ſed moderato, & medici- nali, exerente ſe, vel comminatione carceris, vel irroga- tionē multæ, aut alijs poenæ, ſano Magistratus judicio conſtituendæ. Nec quæſtio intelligenda eſt de compulſu ad fidem ipsam, ſed ad viam conſervandæ fidei, & ad actus

pa-

pædagogicos, qui sunt in potestate hominis. His limitibus circumscriptam quæstionem affirmare, nulli dubitamus. Enimvero in proposito est, adhortationem Ministeriorum Ecclesiæ vel publicam, vel privatam, a multis nauci haberi, imo & ludibrio, & despectui esse. Incubit autem Magistratui civili, ut sit custos utriusque tabulae. *Deut. XVII, 10. II. Reg. XI, 12.* Quibus de causis Reges, ac Principes Nutritores Ecclesiæ appellantur *Ez. XLIX, 23.* quoniam pro auctoritate, ne moniti quidem, hostem & externum, & interiorem, doctrinæ scilicet corruptelas, & scandala vitae propellere tenentur. Relinquitur propterea illis cura & potestas externa, non magnificentia, & ostentationis gratia, sed ut, data occasione, eam in emolumen-
tum Ecclesiæ exerceant, ita ut veram doctrinam propagent, decentem juventutis informationem promoveant, scholas conservent, contumaces compescant, omniaque pietatis impedimenta removeant. Impossi-
ble quoque, hoc deplorato temporum statu, videtur, ut elementa salutaris doctrinæ, pueris & proiectioris ætatis hominibus, propinari possint, nisi auctoritas Magistratus civilis accedat. Quæ si deficiat, liberum vivendi spatium relinquitur improbis, utpote qui, Superiorum indulgentia abusi, utile hoc docendigenus spernunt, quin sœpe in odium docentium negligunt. Magistratus igitur civilis nonnulla culpa eveniunt, quæ ex his talibus emer-
gere solent, utpote malitiosus verbi divini contemptus, crassa doctrinæ cœlestis ignorantia, detestanda in fide, & moribus barbaries, peccata enormia, ac tandem æterna subjectorum damnatio, pro qua, & que ac Ecclesiæ Minis-
tri, rationem olim sunt reddituri. Et cur non adigi pos-
sent auditores ad examina hæc *Dominicalia*, cum manda-
to Principis sanctum sit, ut ad *Quadragesimalia* (*die so ge-
nannten Fasten Beten*) sub comminatione mulctæ compel-
lan-

DE ANTINOMIA RECENT. QUORUNDAM. 41

lantur? Vid. die Landes- Ordnung, General-Artikel Art.
V. item: *Corpus Jur. Eccl.Sax. p. 16. 19. seq.* His enim
rationibus corrigendi sunt refractarii, quibus frenum
& capistrum *Psalm. XXXII, 9.* & plaga vulneris *Prov.*
XX, 30. medicina est. Nemo quoque auditorum, cui
religio curæ atque cordi est, subterfugere potest ejus-
modi docendi modum, cum hac via indies, in cogni-
tione doctrinæ sanctioris, longius procedat, & capax
ad reddendam unicuique rationem reddatur. *Petr. III, 15.*
imprimis Superioribus. *Tenetur, inquit B. Dannhauerus Ho-*
doceph. p. 137. subdius ex præcepto Magistratus ad fidei suæ red-
ditionem &c. Cumque semper, & ubique parere debeant
Magistratui, leges bonas ferenti, cur non hac in parte
obsequium præsent? Etenim non coguntur ad religio-
nem, & fidem, quod Pontificii faciunt, sed adstringuntur
såltem, ut religionem, quam profidentur, cultu pio rite
continuent, perinde ut illi, qui Libris Symbolicis sub-
scribere jubentur. Quodsi etiam Magistratus, pro re-
nata, utatur apparitorum opera, sciant, adhiberi eam,
non ad torquendas conscientias, sed ad frangendam quo-
rundam pertinaciam, & ad incutiendum terrorem illis,
qui amicis adm̄onitionibus repugnant, & contemntum
verbi divini ostendunt. Neque vero propterea insimula-
ndus est Magistratus alicujus ḥλογενειονης, quasi
limites alieni lœdat offici. Facit enim id, partim rogatu
Ministrorum Ecclesie, partim exercet ea, que ad exter-
nam potestatem circa res sacras pertinent. Divus no-
ster Lutherus hanc de coactione externa sententiam suf-
fragio suo approbat in *præfat. Catech. minor.* ita differens:
Parentum & Parum familias officium erit, negare talibus ho-
minibus victim, & pulchre quoque fecerint, si efferratis illis ho-
minibus indicent, eam Principis esse sententiam, ut in exilium
aliquo delegentur, & ejiciantur e patria. Calculum addit B.

F

Hutte

42 DE ANTINOMIA RECENT. QUORUNDAM.

Hutterus: Ceterum, ait, posterior coactio Magistratui pio non modo concessa, sed & mandata est in sacris, ut nimurum non verbis modo, non tantum legibus & edictis, sed & panis externis & vi corporali, imo, sub pena etiam relegationis, ad auditum verbi cogat subditos. Hanc enim curam debet DEO, qui ipsum constituit custodem viriusque tabulae & nutricium Ecclesiae: debet subditis, quorum salutem æque ac propriam querere & promovere tenetur: debet sibi ipse, ut aliquando justissimo mortalium judici rationes administrati officii sui reddere possit. Vid. Dedeck. Consilia Theol. Vol. II. f. 55. nec non Summe Reverendi Dn. D. Casp. Lascheri, Patroni nostri religiosa mentis observantia æternum devenerandi, Disputatio de ἀνακαταστάσει, & B. D. Alberti Disp. de Catechesi. Idem sentiendum est de scholis, ubi Magistratum decet impellere Parentes, ut liberos ad capienda doctrinæ incrementa eo mittant. Etenim illi incumbit, æque ac Parentibus curam eorum gerere, præterea scholas conservare, cum in meliorem juventutis educationem, a qua totius reliqua vita expectatio dependet, tum in Ecclesiæ atque Reipublicæ emolumumentum.

§. XL.

Alter Legis usus appellatur *Elenchicus Theologicus*, qui versatur circa homines regenerandos, & justificandos, quos Lex ad agnitionem peccatorum, eorum magnitudinem ante oculos ponendo, adducit, naturæ depravationem illis monstrat, DEI justitiam, sententiamque damnatoriam manifestat. Homo itaque legis fulmine perculsus, & in anxietate animi constitutus, compellitur ad Medicum, & Servatorem, quem oblique & confuse Lex simul ostendit, quoniam, vulnus homini infligendo, medico nunc ipsi opus esse insinuat, licet, qui ille sit, non indicet. Atque hanc ob causam usus hic *Pædagogicus* quoque nominatur.

§. XLI.

§. XL.

Terius denique dicitur *Didacticus*. Dirigit hic mores, vitamque renatorum, atque eos docet obedientiam, cultum, & opera Deo placentia. De hoc usū præcipue disputabatur olim adversus Antinomos, & nunc adversus Novatores, dum queritur: *utrum lex homini regenito sit opus?* Nos cum Libris Symb. statuimus omnino renatis proponendam esse legem, adducendo argumenta 1.) ab inhærente renovationis imperfectione. Πρῶτον ψεῦδος Novatorum est, perfectionem hac in vita obtineri posse. Qui Perfectissimus vero a Theologis nostris dudum est explosus. 2.) a necessitate alicujus regulæ & normæ, omnem cultum electum respiciuntis. *Deut. XII, 8. Jos. I, 8. Ef. I, 12. XXIX, 12. Matth. XV, 9. Luc. X, 26. Rom. XII, 1.* 3.) a perpetua lucta carnis & spiritus, usque ad ultimum vitæ halitum *Rom. VII.* 4.) a consideratione status integratitatis, in quo primi Parentes ne quidem absque lege vixerunt. *Gen. II, 16. 17.* 5) ab exemplis Sanctorum, qui diu noctuque legem sunt meditati *Ps. I, 2. CXIX, 2.* Plura qui desiderat, adeat F.C. de tertio legis usu p. 717.

§. XLII.

Ponderanda nunc forent argumenta adversæ partis, sed paucis observationibus, utramque paginam facientibus, rem conficiamus. Notetur igitur I.) Statum Renatorum præteritum ante conversionem cum præfenti non esse confundendum. II.) Præconium Legis, & Evangelii, ubique ac nullo non tempore, in coetu Ecclesiæ conjungendum. III.) Non tamen per illud, sed per hoc Spiritum S. nobis dari. IV.) Habitantem autem in nobis non immediate operari, sed, ut alias per verbum & sacramenta; ita per legis præconium, hominem docere facienda & fugienda. V.) Aliud esse legis maledictionem, & coactionem, aliud directionem & meditationem.

44 DE ANTINOMIA RECENT. QUORUNDAM.

nem. VI.) Libertatem piorum in Christo, non esse habendam pro licentia, qua sumus deteriores, nec obedientiam Christi meritoriam tollere obedientiam renatorum. VII.) Quo pacto sancti evadant homines, ex Evangelio, & quo pacto sancti maneant, ex lege addisci. VIII.) Qui legem a renato removeant, viam ad Enthusiasmum pandere. IX.) Nihil contiri in Lege, quod in dispendium status hominis spiritualis cedat.

§. XLIII.

Atque hæc sufficient, de Νεοτεριζόντων disputasse Antinomia. Conspicis hic, uno intuitu, Benevoli Lector, quæ de hoc argumento, vel adhuc monenda erant, vel a cordatis Ecclesiæ Doctoribus, hinc inde in scriptis, sive paucis & obiter, sive pluribus, & ex instituto, jam monita fuerunt. Quem nostrum laborem æquo excipere digneris arbitrio, Deoque O. M. nobiscum, sincera erga cœlestem veritatem mente supplicare, ut a purioris doctrinæ cœtu, omnem veritatis corruptionem arceat, nec ab adversariis eam vel labefactari, vel imminui patiatur!

S. D. G.




Th 1329



56,

Mr. C.



10

Q. D. B. V!

DISPUTATIONEM THEOLOGICAM
DE
**ANTINOMIA
RECENTIORUM
QUORUNDAM**

PRÆSIDE
DN. GOTTLIEB WERNSDORFIO
SS. THEOL. D. EJUSDEMQUE PROF. PUBL. LONGE
CELEBERRIMO, TEMPLI OO. SS. PRÆPOSITO, ET ALUMN.
ELECT. EPHORO GRAVISSIMO

*Domino, Patrono, ac Præceptore suo, per omne vitæ spatum
sancte observando*

PUBLICÆ EXPOSUIT DISQUISITIONI
AVCTOR
M. JO. GODOFREDUS SCHULZE
BISCHOFFSW. MISN.
H. L. Q. C.
D. XIII. CALEND. MART. A. R. S. c^{lo} 1^o CC XI.

EDITIO SECUNDA

VITEMBERGÆ
LITERIS JOHANNIS CHRISTIANI GERDESII
1730